

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

Praeloquium

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)



PRAELOQVIVM.



*Aut abs re erit, B. L. Praefaminis loco
 temet condocesacere, qua equidem
 occasione, quemque ob finem in hanc
 praecipue, de Fidei formularum, Au-
 gustanae maxime Confessionis, Iustitia
 et Vsu, inciderim materiam; neminem fugere potest
 Iubilaeum, quod Lutherana Ecclesia hoc anno Augu-
 stanae Confessionis gratia celebravit; huic confessioni
 cum nomen sit inditum ab urbe Augusta Vindelicorum,
 in qua eadem, Comitibus ibi habitis, ducentos ante an-
 nos, die xxv. Iunii coram Carolo Vto Imperatore glo-
 riosissimae memoriae, publice praelecta, et a Confesso-
 ribus nostris pientissimis eidem fuit exhibita: et uero
 mihi, uel hanc ob caussam scripturo de proposito argu-
 mento, tam felici esse contigerit, ut in hac, hanc
 propter Confessionem uere Augusta urbe, lucem adspi-
 cerem; credidi, me non alia aequae apta, studiisque
 meis magis congrua ratione, illustri Ciuitati de Iubi-
 laeo*

A

laeo

laeo, quod ad ipsam cumprimis spectat, gratulari,
 meamque aduersus eam pietatem testari potuisse,
 quam si quid in hanc confessionem, uti plurimis aliis,
 ita uel Augustae nomine illustrem, commentarer,
 placuit e multis, quae de Augustana Confessione dici
 possent, argumentis, id unum, quod de Iustitia et Vsu
 eiusdem agit, a uariis irreligiosi et petulantioris inge-
 nii hominibus impie et inuerecunde tractatum. Fuere
 quidem immortaliter de Ecclesia nostra meriti, et sunt
 hodiernum merentes Viri, qui Augustanam Confessio-
 nem egregie contra eiusmodi insultus uindicarunt.
 Sed occurrent, B. L. quaedam in hanc rem aliter di-
 gesta et probata, ne de aliis, in quibus nostra ab alio-
 rum instituto differt tractatio, aliquid moneam. Si
 ex fine laborem meum qualemcunque considerare ue-
 lis; non alium mihi proposui, quam, ut probatum
 et euictum dem, diuinum per hanc confessionem in
 Eccl. Luth. deriuatum beneficium, idque simul cele-
 brem; et ut omnibus, quorum interest nosse, meum
 quoque sincerum cum doctrina in illa contenta probem
 consensum. Celebremus ergo nomen Domini, et con-
 stanter cum beatissimis maioribus nostris in doctrina
 euangelica unum sentiamus et loquamur. Vale
 et conatibus meis exiguis benigne
 faue.

Q. D.